



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Conciliabvlvm Lavdense Qvo In Praesentia Imperatoris Friderici I. intrusus  
antipapa Octavianus, Victor III. dictus, recipitur, anno Donini MCLXI. sub  
Alexandro III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO CHRISTI 1161. **CONCILIABVLVM LAVDENSE**  
**QVO IN PRÆSENTIA IMPERATORIS**  
 Friderici I. intrusus antipapa Octavianus, Victor III.  
 dictus, recipitur, anno Domini MCLXI. sub Alexan-  
 dro III.

NOTA.

\* *Conciliabulum.*] De huius Conciliabuli actis Otto Morena in  
 Laudensi a se scripto chronico, fautor schismatici papæ, ista habet:  
*Sequenti vero die, in quo fuit tunc festum sanctorum Geruasii & Pro-  
 tasi, per dominum papam inceptum est sacrum Concilium, quod a  
 principio Papiæ, deinde Cremonæ fieri dispositum fuerat, postremum ta-  
 men ad honorem Laudensium ex voluntate imperatoris Lauda est cele-  
 bratum. In quo dominus imperator cum suis principibus, & \* dux  
 Bohemia, & dominus Pellegrinus Aquileiensis patriarcha, & dominus  
 Guido electus Rauenna archiepiscopus, & multi episcopi, & magna co-  
 pia priorum, abbatum, prepositorum, aliorumque clericorum, qui ve-  
 nerant ad Synodum, seu Concilium, vnanimiter confirmauere electio-  
 nem, qua in predicto anno Papiæ iam facta fuerat de ipso domino papa  
 Victore. Fuere autem in ipso Concilio recitata litera excusatoria regis  
 \* Dacia, & regis Noruegia, & regis Hungaria, & regis Bohemia, & sex  
 archiepiscoporum, & viginti episcoporum, multorumque abbatum tam  
 Clarauallesium, quam aliarum congregationum, atque prepositorum:  
 in quibus omnibus literis continebatur, ipsos reges cum vniuersis eo-  
 rum prouinciis, & predictos archiepiscopos, episcopos, abbates, & præ-  
 positos velle se tenere præfatum dominum Victorem pro papa & domi-  
 no, & se velle ratum habere totum quod dominus Victor statuit in ipso  
 Concilio cum aliis sibi præsentibus. Sed veritate cognita, resilierunt  
 ex iisdem plurimi. Pergit auctor: In ipso etiam Concilio fuere excom-  
 municati dominus Hubertus Mediolanensis archiepiscopus vna cum  
 consulis Mediolani, & episcopus Placentinus, & episcopus Brixien-  
 sis, & Placentia, & Brixia consules, omnesque ipsorum consiliarii, ac etiam  
 omnes illi, qui interfecerunt Moguntinum archiepiscopum, & qui in  
 eius morte consenserunt, & episcopus Bononiensis . . . . . depositi fuere ir-  
 recuperabiliter. Episcopus vero Paduanus, & episcopus . . . . . vsque ad  
 Kalendas Augusti termino eis dato, ab officio suspenduntur. Et hæc  
 acta sunt in die Iouis, cum Concilium vsque ad ipsam diem perdu-  
 rasset, in qua die fuit tunc festum sancti Iacobi Alphi. Hæc au-  
 ctor, addictus Victori pseudopapæ, contra catholicum pontificem  
 Alexandrum.*